



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Bobo Conf. 23. Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. BOBO CONF. 23. Maij.

Quo tempore Mauri Hispaniâ potiti, Galliam
 etiam Narbonensem mali vicini terrebant,
 fuit Bobo noster patriæ suæ propugnaculi instar,
 homo nobilis cæterâ & militaris, sed qui sub sago
 tegere sciret virtutem, raram inter milites arma-
 turam. Fortè hostis Fraxinetum insulam insede-
 rat, & crebris inde excursionibus multam rem
 Christianam vexabat. Hic Bobo ducibus Apосто-
 lorum Petro ac Paulo spolia opima vovet, arma
 non hostis, sed sua: positurum se ista, nec Ducem
 jam militum, sed pupillorum patronum fore. Ad
 hæc gratum se quotannis Romam iturum, & li-
 minibus victricibus osculum laturum. Annuere
 Divi, & per quietem visi animos addiderunt Bo-
 boni; ille mox militibus; quibuscum per medios
 hostium cuneos arcem ingressus, non modò ob-
 sidione hanc liberavit, sed barbarum regem insu-
 lâ exiit, itaque terrorem à Galliâ longè amovit.
 Et hic triumphus Bobonis de hostibus fuit; alter
 de ipso Bobone. Fratricidæ obviis, nutante ali-
 quando in vindictam animi acie, sui tandem
 egregius victor, spolium ex inimici vultu oscu-
 lum suspendit. Porro arma exiit, & orphanorum
 jam Dux annis singulis pedes triumphum suum
 Romam duxit, dum ex itinere denique mortuus
 in cæleste Capitolium est investus. Mortui tu-
 mulum quotquot animalia calcarunt, in ve-
 stigio mortua monuerunt incolas, ut eum can-
 cellis à profanâ terrâ secernerent, & templo ho-
 norarent. Ossa denique Ticinum translata me-
 morant, pompæque, quò augustior hæc foret,
 lumi-

lumina è celo. & stellam adfuisse. Ex Ferrar.

Confirma amicitiam cum SS. Angelis; intra in civitatem Dei: Apostolis Martyribusq; sociare; unde illi gaudent, inde gaudeto. Horum divitias concupiscito, & per bonam emulationem illorum suffragia ambito; cum quibus enim fuerit consortium devotionis, erit & communio dignitatis. S. Leo serm. 5. de Epiph.

S. SIMEON STYLITES IVNIOR. 24. Maij.

Hominem caelestem, an terrestrem Angelum SIMEONEM malis dicere, tanto magis dubitabis, quanto rectius noveris. Voti parentum concessus futuræ sanctitatis vatem Christi antambulonem Ioannem habuit, cui ne quid in victus parsimoniâ concederet, jejunia in cunis inchoavit, levo matris ubere, velut omnis causâ semper abstinens, Sexto ætatis anno ab hominum consortio in loca sola secessit, nunquam tamen solus, cellulis eisdem cum eo casas habitantibus. Ex quo tempore incommoda naturæ vel non sensit, vel inusitatis fomentis sustentavit, nec tate, vel quocumque nomine appellari lubet delicias divinitatis, passus. Exacto in hunc modum sexennio in conobium immigravit, magnâ Religiosæ vitæ commendatione, quam Angelorum contubernio eo facto videbatur antetulisse. Sed nimirum illic quoque Angelos reperit, haustamque eorum usque innocentiam magnis prodigiis affirmavit; ut, cum leopardum pro fele domestico circumduxit, aut cum ad ejus imperium leo puerum à comitibus desertum, tergo ad socios subvexit, quæ magistro SIMEONIS ansam præbuere, eum ad perpetuam in columnis stationem invitandi. Paruit SIMEON, atque corpore juxta animoque supra terram emi-

nens,